



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

Alivd

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

de beneficijs diuinis in Ecclesia, videlicet de rati-
 catione, electione, gubernatione, & gloriosis libe-
 rationibus Ecclesie, & c. vt confirmet nos, ne in
 tanta imbecillitate nostra, & in tam varijs peri-
 culis & distractiombus, existimemus Ecclesiam
 tantum humanis viribus & consilijs regi, ac pro-
 pterea fracti desperatione, abijciamus doctrinam,
 imò inquit Paulus, Scitote adesse Deum Eccle-
 siæ suæ, & vobis opem ferre. Ipse sua misericor-
 dia recipit Adam & Euam, desertos ab omnibus
 creaturis, & filius semper fuit, est & erit custos
 Ecclesie. Hic custos rexit arcã Noæ, seruaui po-
 pulum eductũ ex Aegypto. De his continuis bene-
 ficijs in Ecclesia inquit Paulus, Deũ omnia agere
 secundum consilium voluntatis suæ, id est, presta-
 re omnia beneficia Ecclesie suo mirando consi-
 lio, supra quam intelligimus, & c. Ac diligentia et
 prudentia adhibenda est in dijudicatione dicto-
 rum, & circumstantie consideranda sunt, qua
 ostendunt, de qua specie dicatur.

A L I V D Proverb. 16.

Ex 4. 1. dicitur Omnia facit Deus propter se, etiam impium
 ad diem malum. *h. t. non e. p. in. p. t. a.*

Respondeo. Consideretur particula propter
 seipsum. Deinde & Syntaxis obseruetur. Mani-
 festum est, Deum non velle impietatem, nec posse
 dici, Deũ velle impietatem propter seipsum. Sed
 poenam seu ordinem vult Deus propter seipsum,
 & v.

et ut eius iusticia & iudiciū agnoscantur. Ideo referas verbum facit ad pœnam, impium ordinat ad diem malum. Concio est de providentia, et de pœnis, quas affirmat secuturas esse, etiam si impij aliquanti sper florent permittente Deo.

Postquam argumenta præcipua de necessitate explicata sunt, fideliter moneo Lectores, ut, cum mandatum Dei sit, amplecti veritatem, et fugere falsas opiniones, iuxta illud: Non dicas falsum testimonium, detestentur petulantiam defendentium absurdas opiniones, ut sunt Stoici furorores de necessitate, præsertim cum contumeliosus sint aduersus Deum, et perniciosi moribus.

De affectibus.

Utilis est doctrina de affectibus. Primum, ut discrimen virtutum et affectuum cognoscatur. Deinde, ut fontes considerentur honorum et malorum affectuum. Tertio, ut Stoici errores refutentur, qui sæpè in Ecclesia magnos tumultus excitarunt. Nam et olim multi fanatici homines, et Anabaptistæ his proximis annis omnes affectus tolli voluerunt, penè ut Stoici. Primum autem sedes consideranda est, videlicet anima hominis, ac postea distribuenda potentia, et videndum, quæ sint singularum potentiarum propria organa et propriae actiones. Hanc totam de